



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Vtî amans anima quorundam religiosorum vitia defleat: vtq[ue] pro sui ex
cunctis malis liberatione cum Deo vnione supplicet Ca. VI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

Vt amans anima presentis vitæ calamitates deplorat: mundi huius vitia quanta inuoluerint, quibusque peccatis potissimum seculares homines irretiti teneantur.

CAPVT V.

Psal. 39.

Domine Domine quando respicies, quando mihi misello expectanti & expectandi te misericorditer intendes, vt exaudias preces meas, & educa me de hoc lacu miseriz & de luto fecis, vt statuas supra petram æternæ stabilitatis pedes meos, & ad patriam æternæ iucunditatis dirigas gressus meos, vbi immittes in os meum canticum nouum, hymnum tibi Deus meus: Nunc autem interim dū super flumina sedeo Babylonis, id est, huius mundi confusi diuersis peccatis, sicut dum recordor illius super celestis Sion, & sunt mihi lachryma mea panes die ac nocte, dū dicitur mihi per singulos dies: Vbi est Deus tuus? Et ego dico: Deus meus vbi es? Ecce vbi es.

Psal. 135.

Psal. 41.

Et respiro modicum & modicum paululum, inquam, respiro in te Deus meus, solatium meum, dum à longè prospicio, & quasi de longinquo saluto patriam meam, regnum tuum o rex & pater meus, cum effundo super me animam meam, cum pertranseo meditando in locum tabernaculi admirabilis, vsque ad domum tuam, vbi quamuis tenuiter & non omnino intelligibiliter audio vocem exultationis & laudationis, soni festiuitatem celebrantis. Et tamen adhuc tristis est, quia relabatur subito ad consuetas miserias misera anima mea, & conturbat me, & facit mihi tedium vitæ meæ, dum considero diuersa pericula, tam eorum qui foris sunt, quam eorum qui intus. Adhuc enim insultat Iudæus mortuo crucifixo nostro. Mortalem fuisse Deum paganus irridet. Quis hoc non doleat, quis optimo crucifixo non condoleat, pro nobis facto viro dolorum, super quem adhuc cadunt opprobria exprobrantium ei, & additur dolor super vulnere eius dolorem, dum hodie contemnitur regnans & in æternum victurus in caelis qui tunc vulnerabatur humilis, & temporaliter moriturus in terris. At verò intus, id est, in Ecclesia Catholica fideles infideliter viuunt, & ipsum meum crucifixum, quem verbis protestantur, factis detestantur, quæ consententur lingua, operibus diffitentur. Nec minus foris, id est extra religionem, vel extra monasteria, mundum sequuntur amatores mundi, solo nomine Christiani, regnantes in eis non Christus Iesus Rex regum & Dominus dominantium, qui verè mitis est, & humilis corde, cuius iugum suauis est, & onus leue: sed iugum grauisimum iniquitatis ipsi sibi imponunt homines inhumani, faciuntque in se regnare concupiscentiam oculorum, id est, auaritiam & concupiscentiam carnis, id est, luxuriam, & superbiam vitæ, dum gloriantur in malitia, qui potentes sunt in iniquitate. Abiectione dulcissimo sanctæ charitatis affectu, mordent se inuicem & comedunt, sæpiusque inuicem se collumunt, odientes & detrahentes, & occidentes se inuicem qui inuicem, debent esse benigni & misericordes, donantes inuicem, sicut & Deus in Christo donauit nobis.

Ibidem.

Psal. 41.

Esaia 53.

Psal. 68.

Esaia 1.

Vt amans anima quorundam religiosorum vitia defleat: vt que profui ex cunctis malis liberatione & cum Deo vnione supplicet.

CAPVT VI.

1. Co. 7.

Vtinam autem hæc ad eos qui intus, id est, in monasterijs sunt minimè pertuerent, & haberetur saltem securitas intus inter filios & filias Dei spirituales & speciales, filijs mundi pugnantibus, litigantibus & belligerantibus foris. Sed

Sed heu verum, & nimis verum est hoc dictum Apostoli: *Intus timores, foris pugnae* immò etiam, intus timores propter pericula fratrum falsorum, intus quoque sunt pugnae propter eos qui aperte virtutibus, & disciplinæ, & sanctæ charitati resistunt, & verissimum est quod Sponsa in Cantico amoris conqueritur dicens: *Filius matris meae pugnauerunt contra me*, dum quælibet optima anima volens piè viuere in Christo persecutionem patitur.

Et quid ultra dicam? Clementissime Pater cum quo & propter quem sustineo opprobria, & operit sæpè confusio faciem meam, de tantis iam nunc laqueis eripe me. *Libera me, & pone me iuxta te*, fiat manus tua dulcissime saluator meus, vt saluet me, & tunc *cutusuis manu pugnet contra me*. Vsq̄quo enim tu Domine qui omnia nosti, qui scrutaris renes, & corda omnium intueris, vsq̄quo inquam, oblitisceris me in finem, vsq̄quo auertis iucundissimā faciem dulcissimæ consolationis tuæ à me? Quamdiu ponam consilia in anima mea, dum propter multiplicium infidiarum laqueos vereri me oportet omnia opera, sciens etiam si nihil mihi conficius sum, me in hoc quoque non iustificari?

Benignissimæ Iesu obsecro te per humanitatem nostram, quàm dignatus es assumere, vt me de hoc exilio ouem tuam perditam pijs humeris tuis per crucem tuā ad patriam tuam & nostram, à qua heu cecidimus reportes. Respice vultu tuo misericordissimo animam, quàm ad te metipsam creasti, & saluam eam fac, quoniam intrauerunt aquæ multiplicium tribulationum vsq̄ ad ipsam. Infixa quoque in limo profundi, & non subsistens, de profundis clamo ad te, laboro clamans die ac nocte, rauca factæ sunt fauces meæ, deficiunt oculi mei, dum spero in te spes mea & Deus meus. In multitudine igitur misericordiæ tuæ exaudi me. & quia verè benigna est misericordia tua, secundum multitudinem miserationum tuarum respice in me. Et quia non in iustificationibus meis prosterno preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis, iam iam de hoc sæculo nequā eripe me, & de miserijs meis multis, & transfer me ab æstu mundi ad amœna paradyssi, vbi glorioso ac desiderabili vultu tuo pasces oues tuas, vbi cubas in omni securitate, in meridie clarissimæ lucis tuæ, ô lucidissime & pulcherrime Christe Iesu.

Vti amans anima cœlestis Hierusalem contempletur gloriam, vtque eius decorem desideret vehementer.

CAPIT VII.

Nunc iā super te eleuare anima mea, & relictis infra te omnibus mutabilibus & querelosis causis, sursum cor habe ad illā matrem nostrā cœlestem Hierusalem, ab omni querela liberam, de qua multi quidem multa gloriosa dixerunt, & adhuc locus est laudi gloriæ eius. Quis enim dignè te laudare poterit ciuitas tota laudabilis, tota solis laudibus vacans illius tui summi regis, quem dignè laudare nemo porest? Felix tu, & nimium felix, sine fineq̄ felix, quàm pulchra es & decora, quàm gloriosa es & beata. *Tota pulchra es, & macula non est in te*. Electa Dei ciuitas manu æterni artificis constructa, quis perpendere, quis referre potest ineffabilem, inestimabilem decorem ædificiorum, quæ construeris ex viuis & electis lapidibus candentibus & rubentibus, de sanguine agni incontaminati & immaculati, summè pulchri & summè diligendi, candidi & rubicundi Iesu? Huius purissimo cruore adornati sunt omnes lapides sanctuarij tui ciuitas sancta, huius cruce

Kkk

expolita